

in Vetèri minùs Testamento, quàm in Novo promissiones divinas, certas utique ac claras, h. e. tales, quæ licet quoad cognitionis modum ratione obiecti, in suâ latitudine considerati, gradus admittant, (quemadmodum nemo orthodoxorum facilè negaverit, quòd major lux nobis, qui in Christum exhibitum credimus, quàm qui in exhibendum crediderunt, adfulserit) rem ipsam tamen promissam ita sistunt, ut pro eo rerum statu ad firmam fiduciam illius boni consequendi sufficiant. Fucum verò hîc faciunt simplicioribus Arminiani sive Remonstrantes, qui, cum Sociniani, ad quorum ipsi dogmata admodùm prurientes aliàs habent aures, in præsentî negotio calculum suum palàm adjicere erubescant, ita lubrici in hõc negotio sunt, ut licet à Photiniani haut procul abeant, orthodoxi tamen videri velint. Et quamvis fortè concedant, facta fuisse in Vet. Testam. vitæ æternæ promissâ, ita tamen obscure illa proposita fuisse statuunt, ut pauci admodùm ea intellexerint. Inde etiam Conradus Vorstius de auct. Sc. S. p. 59. scribit: *Nullomodo hæc in parte (in promissionibus vitæ æternæ) Moses cum Jesu Christo conferendus. Scitæ verò auctor Jacobus Arminius Disp. de Lege & Evang. comp. th. 6. disertè: Discrimen, inquit, inter legem, quatenus per Moysen data est, & vetus Testamentum adpellatur, & Evangelium, quâ Novi Testamenti nomine venit, tertium est in materiâ mandatorum & promissionum. Promissiones enim in Vet. Testam. pleraque corporales fuerunt & terrenam hereditatem, veteri homini convenientem, spondentes: Evangelium verò continet promissionem libertatis cælestis, novo homini congruentis. Quam Præceptoris sui sententiam tantum abest, ut emolliverit infelix Arminianismi interpolator Simon Episcopus, ut potiùs absque limitatione hanc defendendam suscepit thesin: Promissâ Vet. Test. sunt carnalia & temporalia, ad hanc vitam præsentem solummodo*